

C. Sto. P

- 1) Nonnulli Patres aegre ferunt agendi rationem Excmi. Secretarii Generalis Concilii. Ipse etenim saepe locutionibus utitur, quae minus propriae videntur: non est Aula locus in quo ludi verborum multiplicari deceat. Sed est aliquid gravius. Excmus. Secretarius Concilii non videtur ea impartialitate pollere quae huic officio maxime convenit. Ut unum exemplum afferratur, sufficiat meminisse quomodo durante suffragatione Cap. III De Ecclesia locutum fuisse contra E.D. Henriquez, reticito quidem nomine, qui folia subsignata distribuerat, sed secundum normas Concilii. Ipse tamen Secretarius Generalis nec unum verbum dixit de foliis et modis contra Cap. III distributis, etiam ad valvas S. Petri. Cum vero satis notum sit Em. um Cardinalem a Secretis Status partes minoritatis favere, maximae gravitatis est quod etiam Exc.mus Secretarius Generalis in eundem sensum inclinet.
- 2) Circa disceptationem textuum conciliarium omnino necessarium videtur ut omnia schemata libere disceptari possint. Experientia teste textus conciliares multum ex propositionibus Patrum possunt ditari, et hac de causa, quamvis discussio aliquando plus aequo protrahi videatur, non est ita abbrevianda ut non sit sufficiens ad mentem Aulae congnoscendam.
- 3) Circa conclusionem Concilii patet in dies quartam requiri Sessionem si textus accurati desiderantur. Aliter emendatio seu recognitio qualis decet fieri nequit.
- 4) Permulti Patres Conciliares graviter anxiantur de exitu Concilii. Nemo ignorat adesse penes Sacris Dicasteriis Praelati qui mentem contrariam S. Synodo aperte manifestant. Hoc accidit praecipue in S. S. C. S. Officii, in S. C. de Seminariis, in S. Rituum Congregatione et in Secretaria Status. Nonnumquam hi Praesules dissertis verbis affirmant post conclusionem Concilii omnia ad pristinum statum redditura fore. Exinde, ut luculenter apparent ex oppositione quae iam publici iuris est, quam sustinet SRC. contra "Consilium", omnino clarum est quod Concilium ad effectum deduci plene nequit nisi Curia reformetur.
- 5) Circa reformationem S. Officii, vota plus quam 150 Patrum Summo Pontifici anno elapso iam oblata fuerunt, quorum exemplar his litteris annexatur. Addendum esset quod membra ac consultores huius S. Congregationis, ex diversis tendentiis eligi deberent.